

WILLIELMVS BAXTER  
ΤΩΙ ΚΥΡΙΩΙ ΙΗΣΟΥ ΒΑΡΝΕΣΙΩΙ  
ΤΓΙΑΙΝΕΙΝ

**N**ostri, puto, illud Heracliti dictum, ἢ πολυμαθίης τίκτει νόον. Laudas tu quidem, atque plus semel laudas simplices atque aureos Veteram mores, candidaque ingenia: quin et odisti homines ignava opera, et Philosophia sententia: me tamen, horum omnium oblitus, nunquam quod sciam lacefitus, neque laudis aemulatorem expertus, indigne habes, laceras, derides; imo rictu plane Cynico oblatras immerenti. Quid si lauti homines, sacerdotiorumque Patroni, officii sui immemores, nulla tui habita ratione honores tibi inuideant, imo antehabeant tuis meritis vel proprios filiolos et nepotes; vel forsan etiam, quod tu quereris, Calumniatores, Nundinatores, et Parasitos? Estne quod ob eam rem succenseas amicis, et in obuium quemque bilem tuam euomas? Estne quod Academicos etiam tuos arguas inscitiae, atque impudentiae, quorum nonnullos tu dicis brutis esse pectoribus, asininis auribus, Theoninis dentibus, aheneis frontibus, plumbeis cerebris, venenatis linguis, et margiticis plane ingeniis? Dii boni! quae monstra! Verum quae-